Temmink, Christoph.

Berlin

Viro Amplissimo, Doctissimo

Paulo Houillion

Ut summae venerationis ac pietatis

signum

D. D.

Auctor.

Berlini 1. Januar 1855.

Lane Medical Library

DE

CORPORIS ET ANIMI NEXU.

DISSERTATIO

INAUGURALIS ANTHROPOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

SIBI CONFIRMENTUR

DIE XXX. M. DECEMBRIS A. MDCCCLIV.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

CHRISTOPHORUS TEMMINK, DR.
GREVENSI-GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

H. OHM, med. et chir. Dr.
H. BORBERG, med. et chir. Dr.
H. TIETZE, med. et chir. Dr., med. pract.

BEROLINI,
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/decorporisetanim0000chri

PATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

GERARDO TEMMINK

MED. ET CHIR. DOCTORI, MEDICO PRACTICO

HAS PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Inde a primis iam temporibus philosophi et rerum naturae scrutatores nexum animi et corporis et quam mutuo in se exserant vim summo cum studio investigaverunt. Quod plurimum dabant operae, ut essentiam animi et corporis accurate cognoscerent, haud mirandum est; ardens scilicet desiderium sciendi, quod ad hominem maxime pertinet, eos commovit, ut utramque sui ipsorum partem considerarent. Sed ut essentiam animi et corporis alii aliter perceperunt, ita quoque variae de nexu eorum exstiterunt sententiae. Quamdiu a sola profecti sunt experientia et a proxima observatione, quippe qua in tot vitae manifestationibus intimum inter animum et corpus commercium patescat, tantum omnes abfuerunt, ut discrimen esse putarent, in ipsa eorum natura positum, ut pro certo haberent, utrumque esse et eadem substantia et iisdem praeditum attributis. Sed postquam alii, atque inter eos primus Anaxagoras, huic sententiae opposuerunt, spiritum et materiam, animum et corpus omnino inter se discrepare, et postquam ambos ita definiverunt, ut essent substantiae prorsus contrariae, quarum alteri materialitas, alteri immaterialitas tribuenda sit, adversarii novae illius doctrinae coacti sunt, ut amborum et identitatem argumentis defenderent, et discrepantiam, quam initio plane neglexerant, haud existere ostenderent. Ex illo tempore per totam historiam philosophiae et doctrinae de rerum natura duae animadvertuntur sententiae, quae sibi tam oppositae sunt, ut praeter eas nulla tertia valere posse videatur. Aut enim erant animus

et corpus idem, id est variae eiusdem substantiae manifestationes, aut animi et corporis variae manifestationes positae erant in duabus substantiis diversis et contrariis. E duabus his sententiis, quas etiam hodie plurimi sequuntur, profectae sunt scholae Monismi atque Dualismi.

1. DE MONISMO.

Monismus identitatem docet animi et corporis; ut vero alterutrum pro primaria habet vi, duae oriuntur disciplinae, quae, quamvis nitantur contrariis praemissis, re tamen ad idem redeunt. Etenim sectatoresMaterialismi omnem spiritum ex materia velut ex caussa derivare student, quum, qui Spiritualismum docent, animum causam esse existimant omnium manifestationum materialium. Itaque revera utraque schola idem docet; nam si animus ex Materialistarum sententia nihil est, nisi materia subtilissima, Spiritualistarum opinione corpus nihil aliud esse, atque animum magis condensatum ac compactum oportet. Sed negare non possumus, utramque Monismi scholam non solum quodammodo satisfacere rationi, quippe quae omnia referri velit ad leges magis simplices et generales, verum etiam in ipsa positam esse animadversione vis mutuae, quam in se animus et corpus exserunt. Quod id attinet, Materialismo inprimis opportunum est, quod phaenomena corporea varias in animo mutationes efficere, observatio ostendit, atque pari modo Spiritualismo favet, quod animi affectus viresque spiritus non tantum fugaces, sed etiam constantes et permanentes in corpus effectus habent. Impressiones, quae corpus attingunt, sensibus perceptas ad animum pervenire eumque breve tempus excitare, animi vero voluntate corporis motiones commoveri, quis dubitare potest?

Sed pari modo negari nequit, et variis corporis morbis

aegritudinem animi saepissime concitari, et animum in corpore mutationes efficere intentione, ipsumque etiam frequentem morborum corporis causam esse. Quamquam aetiologia in morbis corporis psychicam causam multo rarius detegit, quam in animi morbis causam physicam, nonnullorum tamen corporis morborum, in primis hypochondriae, psychica causa omnino aperta est *). Has animadversiones plurimas pulcherrimasque virorum, qui omni cum studio naturam vitamque rerum naturalium observarunt, utraque Monismi schola suo emolumento interpretari studet. Attamen, quamvis utraque observatione niti possit, ceterumque quasi ratione commendata sit, vera confirmatione literaria caret, quum, argumentatione vere nulla praemissa, animum et corpus eadem substantia esse, haud cunctanter contendat.

a. De Materialismo.

Materialismus materiam esse aeternam atque in motu constanti versari docet, numerum vero corporum naturalium immensum ex rudi indigestaque rerum mole per temporis cursum ita ortum esse, ut et cuique eorum pars materiae, ex materia principali desumpta, subsit, et cuique proprius atque specialis modo obtingat motus, qui, a motu communi solutus, iuxta illum et relatus ad illum decurrat. Doctrina, Materia-

*) Die Hineinbildung des Geistes in eine der Norm des Individiums nicht entsprechende Leiblichkeit ist der Grundzug der Hypochondrie. Schon von Beginn an begleitet ein vegetativer Process den sensibeln: zum Beweise dienen die mannigfaltigen Absonderungen im Magen, welche Pneumatosis, Pyrosis zur Folge haben, und gleichzeitig mit den Empfindungen des Drucks, des Vollseins etc. sich melden. — Hypochondrie ist nur da vorhanden, wo die geistige Intention neue Sensationen schafft, welche wiederum trophische Alienationen herbeiführen. Romberg, Lehrbuch der Nervenkrankheiten.

lismo addicta, motum in spatio et tempore versantem solam rem studiorum admittit, quaestionem autem initii et finis motus, quasi transcendentalem, id est talem, quae non possit tractari, reiicit *).

Sed quamque naturae mutationem, ut exemplo utar vicissitudinis dierum, animo nobis effingere non possumus, nisi numerum perpetuo profluentem. Talis series, quamvis in infinitum decurrat, tamen necesse est, ex primo (von Eins) initium petat, nam, nisi ex primo incipit, et ipsam esse, et omnino procedere posse, cogitari nequit. Quamque igitur mutationem initium habuisse, necesse est, sin minus, ante hodiernum diem innumeros dies et parem dierum numerum ante diem hesternum et crastinum antecessisse oportet, quod, quum hodie non sit cras et heri non sit hodie, fieri non potest **). Sed quum numerus infinitus non amplius sit numerus, notionem vero numeri omittere non possimus, initii quoque mundi notionem defendere debemus. Praeterea omnes res initium habuisse neque ullum animal, neque ullam plantam aeterne vixisse, scimus; nonne necesse est, summa omnium, quae vivunt, etiam habuerit initium? Quamquam infitiandum non est, omne initium difficile esse (etiam cogitatu), quantumvis longe ad originem alicuius rei redeamus, ubique aut initium iam factum est, aut res omnino nondum exstat. Itaque initium iacet in eo temporis puncto, quod inter nihil et esse medium reperitur. Sed quomodocunque res sese habet, initium omne, praecipue initium mundi, se ipsum facere non potuisse, plane apparet; ea enim

---

*) Die Menschen sind durch die unendlichen Bedingungen des Erscheinens so obruirt, dass sie das eine Urbedingende nicht gewahren können. Göthe.

**) Dr. A. Lutterbeck. Ueber die Natur, ihre Erkenntniss, Beherrschung und Verherrlichung durch den Menschen.

conditione adfuisse oportet, priusquam erat. Plato in Phaedri libro de necessitate initii mundi accerrima argumentatione hisque verbis disserit: „Ἀρχὴ δὲ ἀγένητον. Ἐξ ἀρχῆς γὰρ ἀνάγκη, πᾶν τὸ γιγνόμενον γίγνεσθαι, αὐτὴν δὲ μὴδ ἐξ ἑνός. Εἰ γὰρ ἐκ τοῦ ἀρχὴ γίγνοιτο, οὐκ ἂν ἀρχὴ γίγνοιτο. — Οὕτω δὴ κινήσεως μὲν ἀρχὴ τὸ αὐτὸ ἑαυτὸ κινοῦν. Τοῦτο δὲ ὔτ ἀπόλλυσθαι οὔτε γίγνεσθαι δυνατὸν, ἢ πάντά τε οὐρανον, πᾶσάν τε γένεσιν συμπεσοῦσαν στῆναι, καὶ μήποτε ἔχειν αὖθις, ὁθεν κινηθέντα γενήσεται.“ Sicut, quaecunque facta sunt, ex eo, quod est, prodeant, porro sequitur, ante initium mundi, id est ante initium omnium rerum non aeternarum, numen infinitum fuisse oportere. „Τὸ αὐτό ἑαὐτὸ κινοῦν“ est perfecta et absoluta ratio, abs qua res universae originem trahunt, atque Deus est summa et prima causa omnis motus in spatio et tempore versantis. Haec praemittenda esse putavimus, quum Materialistae aeternitate materiae, tanquam fundamento nitantur, quo ad sententiam suam de nexu animi et corporis sustentandam prorsus carere nequeunt. Etenim Materialismus docet, animum esse ultimum effectum omnium virium singularum, quae corpus componunt, ultimam, summam atque pulcherrimam vim, quae ex compagibus corporis arcanis procedat. Itaque easdem leges, quas invenimus in vita corporis, intra fines quoque animi valere oportet, atque quum manifestationes corporeae legibus rigidae necessitatis naturae subiectae sint, sequitur, animum, quippe qui habendus sit corporis effectus, etiam esse in ditione et potestate corporis, atque voluntate libera plane carere. Ut autem praetermittamus, quod nostrum ipsorum conscientia magis conscios nos reddit illius liberae voluntatis, quam ulli sensus valent, quod denique discrimen est boni et mali, quod cogitari non potest, nisi voluntatem liberam alterum aut alterum eligere licet, iam sententiam illam plane falsam esse

demonstremus atque ad rem ipsam aggrediamur. Quaeritur: Num origo animi ex composito, quippe quod corpus se praebeat, derivari queat? Quae quaestio affirmanda est, si constat, animum vim esse, cuius causa in elementis corporis reperiatur et si demonstrari potest, in ultimis corporis atomis positam esse facultatem animi procreandi. Quod quum ita se habet, non amplius ineptum videbitur, si in varia organorum dignitate singulos cognoscimus gradus ad procreandum animum se praeparantes, et denique animum ipsum reperimus in cerebro, organo primo summoque, quod forsitan cogitet vibrationibus fibrarum. —

Quo posito atque concesso, animus ex composito corpore originem trahere non potest, nisi vires elementorum corporis ei vi, quae ex elementis orta in toto sive in composito corpore apparet, aut similes aut dissimiles sunt. Vires elementorum corporis non esse cogitationes, atque quum simplices compositasque corporis partes, tum cellulam organumque perfectissimum non esse vires spirituales, silentio praetereamus *). Viresne vero forsitan elementorum corporis dissimiles sunt illi vi, quae in toto et composito apparet corpore? Atque revera infitiandum non est, analogiam rerum multarum hujus sententiae testem esse. Ut exemplo utar, inter syllabam sermonemque id commune est, quod uterque sono articulato praeditus est, eo autem ambo discrepant, quod in sermone inest sententia, qua syllaba caret. Praeterea in quoque composito corpore,

*) Lust, Unlust, Begierden und Verabscheuungen, Hoffnung und Furcht, Glückseligkeit und Elend sind keine Ortsveränderungen kleiner Moleküle. Die Liebe, das Wohlwollen, das Entzücken, der Freundschaft, das hohe Gefühl der Gottesfurcht sind etwas mehr, als die Wallungen des Geblüts und das Schlagen der Pulsadern, von welchen sie begleitet zu werden pflegen.

Moses Mendelsohn.

sive arte sive natura facto, symmetriam, harmoniam, ordinem, aptam partium compositionem videmus, attamen quaeque singula pars significationem harum omnium qualitatum habet nullam. Quaeritur, quae sit earum qualitatum causa, quae non possit inveniri in partibus singulis.

Illas scilicet qualitates, quum ab elementis non proficiscantur, foris in ea illatas esse oportet. Ut enim notionem harmoniae, symmetriae etc. fingamus, necesse est, singulas partes colliguamus et componamus earumque impressiones varias inter sese comparemus, quae, demum collectae totum efficiunt. Profecto hae qualitates in sensu variarum impressionum sitae sunt, quae collectae et inter se comparatae alias se praebent ac singulae revera sunt. Ordo, symmetria, harmonia, denique omnes res, quae comprehensionem et comparationem postulant, eam ipsam ob causam effectus sunt animi. Nam nisi animus ipse varias comprehendit impressiones singulasque partes inter se comparat, aedificium vel optime constructum nihil est, nisi rudera lusciniaeque vox haud modulatior, quam vociferatio ululae. Imo in tota natura sine hoc animi effectu nullum invenitur totum, quod ex multis singulis partibus constet; atque singulas partes animo comprehendi, comparari, coniungi oportet *).

Itaque animus in harmonia totius positus esse nequit, sive

*) Das ganze Weltwesen liegt vor uns wie ein grosser Steinbruch vor dem Baumeister, der nur dann den Namen verdient, wenn er aus diesen zufälligen Naturmassen ein in seinem Geiste entsprungenes Urbild mit der grössten Oekonomie, Zweckmässigkeit und Festigkeit zusammenstellt. Alles ausser uns ist nur Element, ja ich darf wohl sagen, auch Alles an uns; aber tief in uns liegt diese schöpferische Kraft, die das zu erschaffen vermag, was sein soll und uns nicht ruhen und rasten lässt, bis wir es ausser uns oder an uns auf eine oder die andere Weise dargestellt haben.

Göthe.

ut rectius dicam, animus harmonia ipsa esse non potest; nam quum notio harmoniae effectus, cogitatio sit animi, qui animum pro ipsa harmonia habet, causam ex suo ipsius effectu oriri dicit. Eodemque modo animo non agente vires totius haud aliae cernuntur, ac singulae simplicium partium vires, quae mutuo ipsarum effectu modo augentur modo coercentur. Sed mutuo virium singularum effectu nulla vis procreari potest, quae illis sit dissimilis. Nam quum in corpore composito apparet vis, quae a viribus singularum partium plane discrepat, iterum nobis recurrendum est ad animum, cui vires singularum partium aliae esse videntur, ac revera sunt. Quod supra de harmonia diximus, etiam hoc exemplo probatur: E duobus enim coloribus in spatium tam exiguum collatis, ut oculus non amplius possit eos distinguere, quamvis re sint separati, tamen sensus noster tertium componit a duobus illis plane diversum. Itaque quum vis, quae in toto apparet, e viribus partium singularum oriri nequeat, sed in sola animi adsit cogitatione, animum talem vim haberi non posse liquet, quippe qui ex suo ipsius effectu non possit prodire.

b. De Spiritualismo.

Postquam illis, quae supra disseruimus, animi originem e corporis viribus ducendam non esse demonstravimus, restat, ut ostendamus, pari modo falsam esse sententiam Spiritualistarum, qui animum omnium corporis manifestationum causam esse existimant. Hi vero illam potestatem minus animo sui conscio, quam illi animi assignant parti, quae anima, sui non conscia, seu vis vitalis nominatur; eam enim esse arbitrantur causam, quae omnes corporis actiones moveat atque impellat. Non solum observatione, qua manifestationes vitae a viribus

anorganicis valde discrepare docebantur, sed etiam desiderio, in vitae manifestationibus aliquid sublimioris reperiendi, moti sunt, ut vires vitales ab anorganicis prorsus differre arbitrarentur, atque causam vitae in anima ponerent.

Jam supra vidimus, in composito vim apparere posse e viribus singularum partium ortam iisque similem. Quaerendum erit, viresne, quae corpora organica componunt, sumptae sint ex natura anorganica. Similitudo enim virium organicarum atque anorganicarum in eo posita est, ut ambae se praebeant motus in spatio ac tempore versantes naturaque sint physica. Elementa autem, in quae, ut omne corpus vivum, ita humanum corpus post mortem dilabitur, viribus chemico-physicis praedita sunt, quae etiam in ea coniunctione atque compositione, quam corpus animatum nominamus, nullam aliam vim nisi chemico-physicam sibi propriam exercere possunt. Quamquam manifestationes corporis vivi ab iis differunt, quae in corpore et exanimi et omnino anorganico elucent, illa tamen differentia sita non est in natura virium efficacium, sed potius in earum ordine, dispositione, compositione, ex qua ubique forma pendet ultimi effectus.

Ultimus cuiusque corporis compositi effectus valde pendet ex modo compositionis sive idea, quae in illo inest; ita enim particeps est idea effectus ultimi virium efficacium, ut leges praescribat, quas vires sequantur. Idea igitur corporis compositi mutare quidem potest effectum virium singularum, sed per se nunquam movebit effectum physicum, id est motum in spatio et tempore versantem, quippe semper annexum partibus materialibus. Ita quoque idea corporis humani singulares, ex quibus constat, partes collocat, legibus constitutis disponit, iisque diversissima impertit loca, ex quibus vim exerceant; quod enim partes chemico-physicas in conditionibus valde pe-

culiaribus collocat, eo evenit, ut manifestationes novae in corpore appareant, quae a viribus elementorum tantopere discrepare videantur. Quantumvis ultimus effectus ab idea pendeat, nihilominus constat, ideam corporis neque causam esse eius actionum, neque omnino manifestationes vitales impellere posse. Vis vitalis non est vis efficax vitae, non est causa virium corporis, sed potius ultimus earum effectus, qualis ex coniunctione innumerarum virium singularum legibus constitutis procedit. Ita vis vitalis radices petit ex viribus elementorum corporis, quas natura non esse diversas vidimus ab illis, quae anorganicae dicuntur. Si omnino ad explicandas vitae manifestationes opus non est, ut de peculiari atque mirabili vi vitali credamus, accedit, quod huic sententiae insuper error logicus subest. Nam spiritualismus, quum ideam corporis, quippe quae nil aliud sit, nisi modus compositionis, ordo ratioque organisationis, talem vim esse contendat, quae ex sua potestate effectum physicum gignere queat, eam ob causam attributa, quae notioni instrumenti (Mittel) debentur, in notione finis (Zweck) ponit; quo nexus animae et corporis omnino perperam intelligitur. Itaque etiam Aristoteles, a vera cognitione nexus animae et corporis profectus, animam „ἐντελέχειαν“, id est finem, perfectionem, corpus autem „δυναμιν“, id est vim designat. Anima igitur in corpore non habet potestatem motus efficiendi, sed eius est, ut leges constituat, quibus singulares corporis partes finem persequantur. Praeterea quum idea, quae tantum est cogitatio cogitata, revera in animo solum reperiri possit, sequitur, tandem animum leges in organismo cogitatione ponere, atque vires corporis compositi animo diversas tantum apparere a viribus partium singularum. Quae quum denique omnia, quae supra diximus, comprehendimus, iam contendi oportet, et vires corporis animati ex viribus eius

partium singularum explicari posse, et sententiam, quae vim vitalem statuit, cui, quamvis sit natura spirituali, tamen tribuendus effectus physicus, plane esse reiiciendam.

2. DE DUALISMO.

Dualismus scholae et Materialismi et Spiritualismi contrarius proficiscitur e sententia, animum et corpus plane diversum, duas esse substantias attributis oppositas, alteram extensam, alteram cogitantem, alteram materialem, alteram immaterialem. Si vero animus et corpus essentia sibi ita oppositi erant, ut non esset inter eos punctum contactus, quaerendum erat, quomodo fieri potuerit, ut ambo totum conficiant, vel quomodo explicandum sit, ambos in sese mutuam vim exercere. Id autem miraculum apparere oportuit, nam, ut Cartesius recte dicit, „est natura substantiarum, quod sese mutuo excludunt“ Quum in essentia amborum causa nexus non reperiretur, multo potius separatio amborum necessaria appareret, ad explicandum connexum animi et corporis, quem observatio ostendit, necesse fuit, ut vis tertia et ab animo et a corpore diversa indagaretur, quae ambos artificiose quodammodo coniungeret. Quod igitur hanc ab ambobus alienam vim attinet, in schola Dualismi tres sententiae digressae sunt. Etenim ex sententia vulgari vel scholastica sic dicta hoc medium habetur sensorium commune, per quod omnes corporis actiones ad animum traducuntur et contra, quodcunque in animo accidit, etiam in corpus transfertur. Illi autem, qui cum voce „sensorium commune“ nullam, quae sibi satisfaciat, notionem coniungi posse arbitrantur, substantiam neque plane materialem neque plane immaterialem, forsitan fluidum nervosum, vel auram ventriculorum cerebri aliquam, animum et corpus inter se coniungere contenderunt. Sed ad quaestionem, quomodo his rebus aethereis

ambo coniuncti sint, sententia scholastica minime respondere potest; etenim nil aliud, nisi ambos profecto coniunctos esse dicit. — Secunda sententia oritur a Cartesio; ea autem voluntatem Dei ambos coniungere contendit. Deus enim per occasionem meae voluntatis exempli gratia motum manus meae efficit et per occasionem impressionis organi sensus cogitationem in animo meo producit, ita ut nullus nexus causalis inter voluntatem meam et motum manus meae et inter impressionem organi sensus et illam cogitationem reperiatur. Praeter illam sententiam occasionalisticam, quae dicitur, tertia aliquantulum immutata valet, quam Leibnitzius defendit. Ex illius sententia quaecunque animus in posterum volet vel faciet, quascunque cogitationes cogitabit, Deus providit. Itaque huic animo tale corpus accommodavit, cuius actiones illis animi congruant, ita ut eodem temporis momento, quo animus exempli gratia notionem lucis habet, corpus luce imprimatur. Quomodo tres istae sententiae inter sese differant, Leibnitzius ipse exemplo horologiorum duorum ostendit, quorum indices semper easdem horas significant. Cuius enim rei causa in eo posita esse potest, quod indices alter cum altero coniuncti sunt, (sententia scholastica) aut in eo, quod artifex horologiorum indices utriusque horologii aequabiliter pari modo movet, (sententia Cartesii), aut denique in eo, quod ambo horologia tam aequabiliter instituta et constructa sunt, ut continuo aequabiliter moveantur (sententia Leibnitzii). Omnes autem hae sententiae satisfacere non possunt scientiae, neque prima, quippe quae nihil explicet, neque secunda, quoniam confitetur, animum et corpus sine miraculo vim mutuam in se exercere non posse, neque demum tertia, cui ratio fatalis opprobrio sit, qua liberam animi voluntatem perire oportet. Sententiis denique Dualismi revera nihilo propius accessimus ad cognoscendum animi

et corporis connexum; etenim quamquam observatione cognuntur, ut animum et corpus in se vim exercere probent, tamen ratione sibi persuasum habent, connexum profecto inter eos esse nequire. Itaque eo producuntur, ut rem, quamvis fieri nequeat, tamen fieri contendant atque de continuis miraculis credant.

DE METHODO DIALECTICA.

Quum sententia neque materialistica neque dualistica animi et corporis connexus satis explicari possit, aut a dirimenda quaestione desistere, aut aliam studiorum viam aperire oportet. An fieri possit, ut alia methodus inveniatur, qua connexus animi et corporis melius explicetur, ex iis iam apparebit, de quibus nunc disserendum est. Utraque schola nobis valde reprehendenda est, quod notionem corporis animae et animi haud clare percepit, imo vero notionem animi cum notione animae plane confudit; disceptatione progrediente eam ipsam causam esse reperiemus, quare literis minime satisfaciunt. Jam Aristoteles magnam meruit literarum laudem, quod ostendit, quantopere animus et anima inter sese essentia discrepent, et quomodo nexus animae et corporis percipiendus sit. Ille enim animam nil aliud esse, nisi finem corpori immanentem, vel animam eam esse docet, quam ob rem corpus institutum atque constructum sit; itaque animam perfectionem corporis nominat, quod verbo „ἐντελέχεια“ designatum voluit. Etenim sicut organon corporeum una cum sensu cernendi oculum conficit, utrumque separatum res abstracta et inanimata apparet, ita quoque anima et corpus inter se coniuncta, verum „ξῶον,“ id est organismum componunt. Corpus et anima res quidem diversae percipiuntur ab Aristotele, aeque forsan diversae, ac oculus exanimis atque sensus cernendi, attamen ita coniungun-

tur essentia, ut separari nequeant, nisi utrumque eorum pereat. Praeter „ψυχὴν," quippe quae, finis corpori immanens, corpus organismum reddat, Aristoteles tertiam vim ab anima et corpore diversam distinguit, quam „νοῦν" nominat; is autem, qui est animus, cum anima et corpore natura atque essentia non coniunctus, divinum atque immortale quoddam ad illa foris accedit. Eo igitur, quod Aristoteles animam et corpus res duas diversas definivit, sententiae Dualismi satisfecit, eo autem, quod nihilominus ambo separari non posse ostendit, quae vera insunt sententiae Monismi, in lucem protulit. Sed quamquam Aristoteles animae et corporis nexum recte percepit, eaque de re errorem et Monismi et Dualismi feliciter vitavit, tamen, quod ad nexum animi et corporis attinet, haud cunctanter sectam Dualistarum secutus est; ut enim animum cum anima et corpore natura atque essentia nexum esse demonstraret, plurimum abfuit, ut hoc minime fieri posse declararet, quoniam „νοῦν," id est animum, ad animam et corpus alienum quoddam accedere arbitrabatur. Aetatis multo posterioris fuisse videtur, ut, quomodo hae tres hominis naturae partes inter se coniunctae sint, litteraria interpretatione illustraretur. Etenim ex illis, quae iam Aristoteles et Spinoza praeparaverant, nova schola profecta est, cuius autor Hegelius laude floret. Illius scholae methodus nominatur dialectica, atque haec nobis eam ob causam valde praedicanda est, quod ad meliorem cognitionem notionum animi, corporis atque animae nos perduxit. Methodo autem dialectica non tantum animam et corpus, quamvis res diversas, tamen inter se inseparabiles coniunctas esse, sed etiam animum, quamvis ab anima et corpore essentia diversum, tamen ex ambobus originem trahere demonstratur. Methodus igitur dialectica proficiscitur ex notione rei, cuius et essentiam ex omnibus partibus perspicere et omnia attributa,

quae notionem vel essentiam rei conficiunt, accurate et distincte intelligere studet. Itaque, quum semper notionem rei tueatur, nunquam a via vera avertat, sed potius ad veram rei cognitionem perducat necesse est. In considerando igitur connexu, quem inter sese habent animus, corpus, anima, definitiones eorum, vel saltem unius eorum, doctrinae dialecticae praemittendae sunt. Sed notiones animi, corporis atque animae, sicut quaeque alia notio, motum quodammodo in sese includunt, quoniam quaque notione aliquid significatur, quod rei progressu atque explicatione apertum fit. Etenim quamvis notio omnem rei essentiam contineat, eaque de causa aliquid plane definitum edicat, tamen notio, quippe qua simul finis rei (Zweck, endliche Bestimmung) significetur, legem tantum progressus atque explicationis rei indicat; progressus autem et explicatio rei proficiscitur ex attributis, in essentia rei positis. Notione et initium et finis progressus et explicationis rei, id est lex motionis eius, significatur. Inde consequitur, ut non tantum notio rei initio progressus non possit ea esse, quae est in fine explicationis, sed etiam res ipsa initio haud perfecte definiri queat. Nam initio nil aliud de re aliqua edici potest, quam ut lex explicationis definitione indicetur. Si exempli causa notio hominis eiusque essentia atque finis ratio est, hominem rationalem fieri necesse est; imo in fine explicationis is evaserit, qui essentia iam fuerat, scilicet rationalis *). Quod autem in cuiusque rei notione motus, progressus, explicatio apparet, essentiam rei attributa continere demonstrat, quae sibi opposita atque contraria sunt. Ubicunque enim in eadem re attributa contraria reperiuntur, appetitus (Trieb) excitatur, atque nullo alio modo nisi appetitu progressus et explicatio rei perfici-

*) Erdmann, Leib und Seele.

tur. Progressus igitur vel explicatio rei legem sequitur, qua contraria et opposita exaequantur; nam ipse appetitus causa est, quae ad tollenda contraria attributa impellit. Si vero ille status, in quo appetitus urget, non expletus, atque imperfectus apparet, appetitu satiato, id est, attributis rei contrariis exaequatis, status rei eo multo perfectior atque completior evaserit. Progressus vel explicatio rei nil aliud est, nisi motus rei a statu abstracto ad statum concretum progrediens, id est, ab illo statu, in quo pauca tantum, ad illum, in quo omnia, quae essentiam rei conficiunt, attributa contraria explicata atque exaequata sunt. Inde quoque apparet, talem rei explicationem plane definitam atque in essentia rei positam esse, quoniam nulla alia attributa explicantur, nisi rei propria, immanentia, cum essentia eius plane coniuncta. Ea ipsa de causa cuique alii methodo methodus dialectica praeferenda est, quod et de veritatis argumentis nobis plane persuadet, atque id solum postulat, ut rem progredientem animo persequamur, vel eandem viam ingrediamur, quam res ipsa. Methodus dialectica occupatur cogitationibus atque talibus quidem, quae revera sunt.

Jam logice nos docet, notiones universalium et singulorum (Begriffe des Allgemeinen und Einzelnen) partes esse, quae cogitationem constituant; in diversa autem ratione, quam inter se habeant universalia et singula, varietatem substantialem rerum positam esse. Si haec ratio tam infesta est, ut universalia excludant omnia singula, universalia non vera sunt, quae solum cogitantur et in cogitatione sola consistunt. Tale autem abstractum est intra naturam exempli causa materies generalis, quae nunquam atque nusquam est, quoniam materies, quae revera est, semper materiem specialem se praebet. Si vero universalia omnia singula excludunt, illis pari modo

singula abstracta atque haud vera ex adverso posita sunt. Singula enim ab universis plane soluta nil sunt, nisi „hoc“ „hic“ „nunc.“ Sed notiones „hoc,“ „hic,“ „nunc“ in cogitatione tantum consistunt, nam idem „hoc“ eodem temporis momento, quo „hoc“ significo, iam est aliud factum, et „nunc“ iam evanuit et „hic“ statim alium spatii locum obtinet (*πάντα ῥεῖ*). Illi autem vicissitudini continuae res naturae anorganicae subiectae sunt; hae enim revera non sunt, sed potius modi apparent mutabiles, in quibus pondus solum materiae persistit. Ea autem ipsa est essentia materiae, quod universum et singulum, partes cogitationem conficientes, extra se versantur; materies est cogitatio, quae est extra se eamque ob causam in forma spatii et temporis apparet. Quamvis in materia partes cogitationis extra se versantur, tamen etiam hic animadvertitur vis, quae ad tollenda contraria universalium atque singulorum tendit. Sed hic nisus frustraneus est; nam quamquam atomi innumerabiles vi centripetali, quae vocatur, impelluntur, ut in centro velut in simplici communitate se coniungant, vi tamen centrifuga, illi opposita, in contrariam partem pelluntur. Itaque necessitas est attributio materiae, quoniam atomi coguntur, ut extra se maneant atque impediuntur, quominus simplici communitati sese tradant. Materia est cogitatio, in qua contraria universalium atque singulorum non tolluntur, nam si atomis singulis contingeret, ut se in centro coniungant, materia haud amplius esset talis cogitatio, quae extra se est, sed talis, quae est apud se, atque porro non esset talis cogitatio, quae solum cogitatur, sed talis, quae simul ipsa cogitat, quae et obiectum et subiectum cogitationis, itaque cogitatio cogitans est. Sin hoc modo contraria universalium et singulorum ad identitatem pervenissent, ex hac coniunctione ens ortum esset, cuius finis contrarius materiae

voluntas libera est. Tale autem ens est animus, si forte apud se esse nil aliud est, nisi liberum esse, et cogitatio, quae apud se est, nil aliud significat, nisi cogitationem cogitantem. Sed hac via, quam omnino eam solam ob causam ostendimus, ut iam hic notionem animi interpretemur, cogitatio ad se ipsam pervenire nequit, quoniam in materia universalia et singula, partes cogitationis, extra se maneant necesse est. Attamen re progrediente tandem eo perveniemus, ut ostendere possimus, contrariis universalium et singulorum plane sublatis cogitationem talem factam esse, quae ipsa cogitet.

Simulac enim ratio universalium atque singulorum iam haud ita infesta est, ut alterum a se plane excludat alterum, si potius ambo iam ex parte coniuncta sunt, ita ut universum partem singuli et singulum partem universi in se contineat, natura organica cum copia innumera plantarum et animalium nobis occurrit. Notio autem generis, quae entibus naturae organicae tribuenda est, haec separat ab omnibus, quae vita carent. Sane quidem genus est universum quoddam, attamen non est tale abstractum, quod omne singulum a se excludat, multo potius partem singuli iam in sese continet, atque etiam ipsum universum speciale est, quoniam singula varia genera reperiuntur, atque simul notio generis sexubus duobus annexa est. Itaque genus non tantum in cogitatione consistit, sed potestatem veram atque efficacem constituit, quae revera agit, se obtinet, generatione se propagat. Pari modo singulum, quod generi oppositum est, haud ita tale est, quod omne universum excludat, nam ipsum iam partem universalis in se habet, quoniam species et exemplum generis est, cuius appetitum veluti finem et mandatum in se continet. Itaque singulum haud amplius omnino fragile atque prorsus caducum apparet, sed fluxui temporis, quippe qui in eo positus est, ut singulum

omne universum a se excludat, ablatum est, quoniam species se propagat. Quamquam hac ratione, quae est inter genus et speciem, alterum contrarium iam alterius partem in se habet, tamen universum haud totum in singulum iniit, atque singulum haud prorsus in sese recepit universum. Itaque etiam ratio eorum quodammodo infesta est, ita ut, si alterum contrarium procedit atque augetur, alterum recedat atque minuatur; etenim coitu, quippe quo genus potestate sua utitur, species singularitatem suam dimittit, ut se universo, id est generi, tradat, post coitum autem, quum contraria ex parte iterum discedant, species omnem singularitatem recuperat; hocce praecipue manifestum fit taedio, quod species post coitum in genus ostendit. Quo magis species singularitatem obtinet, eo magis potestas generis evanescit. Sed quum haec contraria ex parte quadam coniuncta sunt, simul etiam vitae status speciei voluptate coitus quodammodo augetur, atque pari modo generi emolumento est, quod novum generis exemplar generatur. Qua ex ratione sequitur, ut genus, quum speciei alienus finis sit, non nisi detrimento speciei potestate sua uti possit, quoniam species coitu quasi in generis notione pereunt; quin imo notum est, nonnulla animalia opere generationis vix peracto mori. Utraque igitur pars ex altera pendet, ita ut altera ab altera cogatur atque teneatur; genus libera voluntate caret, quoniam speciebus annexum est, atque eodem modo species necessario appetitui suo obtemperet necesse est, quoniam genus veluti finis alienus eam vi cogit. Si vero ambo contraria ita sublata essent, ut universum in singulum tanquam in se ipsum venisset, finis haud amplius alienus et externus appareret, sed potius finis sui conscius et immanens singulo; si denique singulum ita in sese recipere posset universum, ut se liberum traderet eius substantiae, generis victoria simul esset speciei triumphus.

Sed alia rei ratio est; nam quamdiu universum et singulum sicut genus et species relationem infestam alunt, tale ens oriri non potest, quod sui conscium atque voluntate libera agat. Animalibus, quum sui conscia non sint, voluntas quoque libera tribuenda non est, atque quam praebent vim spiritualem, conscientiam (Bewusstsein) et libidinem (Willkühr) nominemus oportet. In vita et animalium et plantarum notio subiecti, quamvis abstracti, iam nobis occurrit, quoniam suum ipsorum effectum regere possunt. Qua notione a rebus naturae anorganicae differunt, atque inter se eo discrepant, quod altera conscientia et libidine praedita sunt, quibus altera carent. — Sed transeamus ad eam universalium et singulorum rationem, qualis in connexu animae et corporis elucet. Illis igitur, quae supra diximus, rationem generis et speciei tam infestam esse vidimus, ut genus non nisi detrimento specierum potestate sua uti possit. Si vero universum singulo non amplius ut finis alienus oppositum est, sed potius in illud ita iniit, ut singulum omnino occupaverit, ratio eorum haud longius infesta erit, atque universum cum singulo hoc modo coniunctum potestate sua non detrimento singuli, sed eius emolumento utetur, ita ut vis amborum eadem appareat. Pari modo singulum, quod se prorsus tradidit universo, haud amplius detrimentum universi efficit, sed simul suo et universi emolumento agit. Illum autem gradum absolutionis atque perfectionis cogitatio persecuta est, si partes ejus, singulum et universum, sicut corpus et anima inter se coniunctae sunt. Anima non est finis corpori externus, sed ei immanens, qui non per corpus, sed in corpore perficitur; itaque corpus perfectionem sui ipsius finis, id est animae, nominare possumus. Singulae igitur corporis partes auctoritatem habent membrorum sive organorum, organismum componunt. Illum autem organismum intelligimus, in quo et

tótum et totius quaeque pars suum finem adipiscitur. Organismus est multitudo organorum sive membrorum, quae omnia sibi communem atque immanentem finem habent; partes autem organismi inter se ita cohaerent, ut in perficiendo fine communi quodque organum non coerceatur vel perdatur, sed potius corroboretur atque firmetur. Illum finem corpori immanentem, qui partes eius membra, multitudinem membrorum organismum reddit, animam nominamus. Attamen anima res coniungens, vel omnino vis efficax habenda non est; nam quum idea corporis sit, rationem modumque solum coniunctionis partium corporis singularum significat, legesque praescribit, quas singulae corporis vires sequantur. Ex ea autem ratione identitatis, quam inter se habent contraria universi atque singuli, hae duae conclusiones prodire mihi videntur: 1) de sede animae disseri non posse; 2) Fieri non posse, quin corpus sine anima et anima sine corpore sit. Quod igitur corpus sine anima cogitari non potest, communis consuetudo sermonis iam demonstrat, quae corpus exanimatum haud amplius corpus, sed tantum cadaver nominat. Etenim cadaver non amplius organismus est, sed copia partium singularum, quarum copula, finis immanens, id est anima, subterfugit. — Si vero corpus animae perfectio est, porro ex hoc efficitur, ut animam, corpori annexam, corpore moriente suam quoque vitam amittere oporteat. (*Οὔκ ἐστιν ἡ ψυχὴ χωριστὴ τοῦ σώματος.* Aristoteles.) Illo vero, qui de immortalitate animae credunt, notiones animae et animi, alterius cum altera, confuderunt, quoniam attributa, quae solum essentiae animi concedenda sunt, quorumque immortalitas primo loco mihi collocanda est, in animae quoque essentia, veluti in alieno loco, posuerunt. — Quod sedem animae attinet, illam modo in glandula pituitaria, modo in substantia cinerea cerebri, modo in corpore quadri-

gemino etc. esse contenderunt. Hi sententiam professi sunt, animam ens quoddam vel vim esse, quae ex hoc loco omnes corporis vires regat atque compages organismi moveat. Anima vero in singulari organo velut in sede sola habitare aliaque organa negligere nequit; ipsam ideam atque corporis immanentem omnes eius partes tenere oportet. Animae organum est totum corpus, quoniam anima toto corpore perficitur. Attamen infitiari nolumus, aliquod organum vel coniunctionem organorum animae maioris momenti esse, quam aliud. Imo iam positum est in notione organismi, qui ipse totum quoddam superius ex inferioribus membris constat, ut membra organismi omnia eadem auctoritate valere nequeant, sed aliud animae magis necessarium sit, quam aliud. Quam si notionem sedi subiicimus, contendere quidem nobis licet, medullam oblongatam vel cor, ut exemplis utar, animae esse maximi momenti organa. — Quamquam ea omnia, quae hactenus de corporis et animae ratione diximus, de quoque organismo, itaque etiam de animalium corpore et anima dici queunt, ex hoc tamen minime concludere possumus, inter hominum et animaliuu animam nullam esse differentiam. Etenim hominum et animalium animae aeque inter se differunt, ac eorum corpora. Quum ex illis, quae supra explicavimus, iam maxime in promptu sit, animam esse finem corpori immanentem, qui, nisi ambo pereant, ab eo separari nequeat, hominis anima nunquam cum bruti corpore, imo ista ipsa hominis anima neutiquam cum alio quodam corpore coniungi potest, quam quocum coniuncta est. Quam ob rem non tantum ea sententia, quae animae per animalium corpora transitionem (metempsychosin) statuit, sed etiam haec reiicienda est, quae hominem animalium superiori cuidam ordini, exempli gratia simiarum, adiudicat. — In ea igitur ratione, quam inter se alunt corpus et anima, contraria

universorum atque singulorum plane sublata videntur; partes enim cogitationis ad se ipsas venerunt; nam quum universum prorsus occupaverit singulum, ita ut cum eo unum atque idem fiat, universum in singulum tanquam in se ipsum venit. Pari modo singulum universum penitus in se recipiens atque cum eo unum et idem factum tamen apud se et in se manet. Cogitatio in identitate animae et corporis summum perfectionis gradum et tanquam finem suum attigit, in quo non amplius obiectum solum, sed etiam subiectum cogitationis, id est cogitatio cogitans, facta est. Cogitatio autem, cuius partes ad se venerunt, quae revera apud se est, animus, Ego, conscientia sui, voluntas libera nominatur. Ita ex identitate corporis et animae ens quoddam existere videmus, quod, quamvis intime cum illis coniunctum sit, tamen, quod ad eius essentiam pertinet, penitus ab eis differt, utpote quod sublevationem, imo negationem animae et corporis perficiat. Animi notio attributa voluntatis liberae atque immortalitatis in se habet, quae quidem hominem ab animali strictissime distinguunt. Quamquam enim animae in eo, quod agit, subiectum appareret, quod non solum a rebus externis movetur ac mutatur, sed etiam conscientia atque libidine ipsum res movet atque mutat, tamen se liberum ac concretum subiectum non praebet, quum externa et necessaria lege teneatur. Quapropter animalia, ut Cuvier dicit, in eo, quod agunt, cum fortasse perfectionis locum adipiscuntur, quem homo dormiens obtinet. Ulterius quum universum, id est genus, non ita in singulum, id est in exemplaria, transierit, ut totam suam essentiam in illo deponat, genus substantiam et immortalitatem non in exemplaribus, sed in se ipso habet. Exemplar autem, utpote quod genus tantum in se demonstret, et tantum quasi signa eius prae se ferat, ipsum non persistit, sed exitio necessario sub-

iectum est. Id enim, quod habet persistentiae et quodammodo immortalitatis, non habet in se, sed in genere. Quod pariter etiam finem non in se ipso, sed in genere habet, eo emergit, exemplar tale esse, cuius locus quoque alio exemplari absolute expleri possit. — Aliter res se habet in homine. Quamdiu in individuo notio generis inest, finis quoque extra individuum in genere positus est; in hominum animo, in eo, quod Ego appellamus, universum, id est finis in singulo ad se ipsum venit, finis suus ipsius finis factus est. Quapropter verbum „genus“ hominibus addici nequit; nam unusquisque homo non est exemplar universi cuiusdam, quod ut finis externus ei obsistat, sed finem in se ipso habet. Eodem modo alius homo non ut bestia, cuius locus exemplari aliquo eiusdem generis plane expleri potest, in alius locum intrans, hunc sua essentia explere atque finem hominis expulsi adipisci potest. Unusquisque enim homo, quippe qui singulari natura et indole praeditus sit, ens originale, ut ita dicam, prorsus inexplebile est, quod libera sui evolutione locum suum obtinet, itaque finem suum attingit. Evolutio autem cuiusque hominis non revera libera dici potest, nisi homo expeditus quibuscunque externis atque internis impedimentis, universo, quod in eo inest, id est rationi, penitus se tradit. Sed de hac quidem re satis dictum esse arbitror. — Notio rei, ut supra explicavimus, et finis et attributum rei est. Etenim quod est finis rei, id eam definire debet. In notione igitur lex posita est, qua res explicatur atque progreditur, nam in fine explicationis suae res talis facta talisque definita erit, qualis revera iam inde a principio erat. Itaque res, quamvis in summo explicationis suae gradu alia esse videatur, tamen revera alia non est facta, quum solum attributa, quae essentiam eius conficiunt, explicata sint. Notionem animi, qualem in disquirenda animae et corporis ra-

tione percepimus, verbo „apud se esse“ significavimus, attributionem finemque eius voluntatem liberam statuimus. Animus autem, priusquam apud se esse potest, ad se venire debet; imo etiam conscientia sui id ipsum est, in quo animus continuo ad se venit. E quibus patet, animum, cuius finis sit, ut liber fiat, principio animum liberum nondum esse; quamdiu enim ad finem non venit, anima et corpore, quorum ex identitate proficiscitur, impeditus est. Itaque ipsa animi notio animum principio cum corpore et anima coniunctum esse vult. Negari quidem non potest, notionem animi naturalis contradictionem aliquam continere, sed ipsa illa contradictione efficitur, ut animus corpore et anima impeditus non maneat, atque continuo eo nitatur, ut ab iis se expediat liberque fiat. Etenim quo magis animus liberatur, quo perfectius explicatur, eo magis a corpore et anima se expedit, eo fortius corpus animamque vincit Animus quum anima et corpore implicitus sit, aeque ac omnia cetera entia naturalia in multitudine individuorum se praestare debet. Itaque vivus est animus, cuius essentia in vitae continuo progressu atque fluxu, in commercio corporis et animae causam habet efficientem. Sensus autem et incarnatio (Empfinden und Verleiblichen), hae vitae formae, quibus commercium animae et corporis manifestum fit, actiones sunt, continuo animum procreantes. Quae quidem vires, si tandem exhaustae sunt, sique omnia, quae sentienda fuerant, sensa atque incarnata sunt, itaque vitae ipse fluxus delapsus est, animus denique summum explicationis gradum obtinuit. Mors, quam ex necessaria naturae lege homo senex occumbit, eo efficitur, ut contraria, quae ut corpus et animam cognovimus, sublata sint. Sed quum hoc temporis momento animus summam perfectionem adeptus sit, senex, quippe qui animi sui explicationem vita longa peracta debitam esse sentiat, quodam-

modo quieto atque hilari animo moritur. Quod minime in iuvene invenimus, qui mortem praematuram nonnisi anxietate quadam terroreque animi appropinquantem videt. Ita iam vita mortem inevitabilem indicat; imo vero homo, ut cum Ernesto Stahlio loquamur, notione vitae (am Begriff des Lebens) moritur. Veruntamen vita exstincta persistit aliquid, quod, quamvis prius vita ipsa effectum fuerit, nullo modo mors tangere potest. Nam animus ens tale est, quod causa ulla aliena, itaque etiam morte, moveri non potest; quoniam sui ipsius finis est, animus est immortalis.

VITA.

Christophorus Temmink natus sum die XX. Mensis Februarii A. h. s. XXVII Grevenae, pago apud Monasterium Guestphalorum sito, patre Gerardo, matre Christina e gente Boeckmann, parentibus dilectissimis, quos Deus benignus mihi adhuc salvos servavit. Fidem profiteor catholicam. Primis literarum elementis domi imbutus, Gymnasium Monasteriense duos per annos, deinde Gymnasium Rheinense per anni spatium frequentavi. Tempore auctumnali A. h. s. XLIV in instituto medico-chirurgico Monasteriensi in literas medicas incumbere coepi atque hos viros disserentes audivi:

Ill. Haindorf, Tourtual, Beat. Becks, Cel. Riefenstahl, Exp. Schmedding, Beat. Wirtensohn. Anno elapso Gissam petii ibique a Rectore Magnifico Knobel civibus almae Universitatis adscriptus, per quinque semestria praelectionibus horum virorum interfui:

Ill. Bischoff, Nebel, Phoebus, Cel. Wetter, Exp. Winther, Ill. Vogel, Wernher, a Ritgen, a Liebig, Lutterbeck, Hillebrandt, Exp. Kroenlein, Hofmann. Die IV Aprilis A. h. s. XLVIII. examine rigoroso peracto,

summos in medicina, chirurgia atque arte obstetricia honores assecutus sum. Deinde examine apud Gymnasium Paderanum superato, maturitatis testimonio instructus sum vernali tempore A. h. s. L. Tum Gryphiam petii et inter cives academicos a Rectore Magnifico Semisch receptus, scholis medicis interfui apud:

Ill. Berndt, Bardeleben, Schultze, Huenefeld. Tempore auctumnali eiusdem anni ad universitatem Fridericam Guilelmam Rhenanam me contuli ibique per unum semestre hos viros audivi:

Beat. Fr. Nasse, Cel. Albers, Beat. Harless, Exp. Böcker, Ill. Kilian. Exeunte Mense Maio anni sequentis Traiectum ad Rhenum adii, ubi per duo semestria audivi:

Ill. Schroeder van der Kolk, Donders, Mulder, Suerman, van Goudoever, Loncq. Deinde in patriam reversus in exercitu regio medici munere per anni spatium functus sum. Quo facto hanc almam musarum sedem adii, atque inter civium numerum a Rectore Magnifico Stahl receptus, per tria semestria has praeceptorum scholas secutus sum:

Ill. Langenbeck, Mueller, Busch, Romberg, Juengken, Schoenlein, Casper, Expp. Busch, Gurlt, Traube, a Graefe, Meckel ab Hemsbach. In exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis atque obstetriciis mihi duces fuerunt:

Ill. Vogel, Wernher, a Ritgen, Berndt, Bardeleben, Beat. Nasse, van Goudoever, Loncq, Busch, Langenbeck. Operationes chirurgicas in cadaveribus instituendas me docuit Ill. Langenbeck.

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, gratias quam maximas ago eorumque memoriam, dum vivam, pio gratoque animo colam.

Iam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso rite superatis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi confirmentur.